

Minori cubiti aliquando magnitudo, dorsum et latera subrubent, notisque liventibus, et multo quam in maiore minoribus, consperguntur. Cutis, si a cauda sursum ad caput manum ducas, aspera; si a capite ad caudam, minime. Oculis, ore, branchiis, pinna, caudaque similes, ab aliis parum differunt, *Generationem* si attendas, ^b ova ipsis in medio matricis circa spinam haerent, aucta circumducuntur. In binos enim partita sinus matrix cum sit, atque sub praecordiorum septo constituta, in circumstantem utramque partem ab-

^b *Aristot.*
H. A. l. 6.
c. 10.

scedunt. Gerunt testacea quaedam, in quibus ovi specie, humor inest; quem colore et perspicuitate cornu, figura pulvinaribus quae capiti dormituri supponimus, similem, facit Rondeletius: Ova nulla continguntur secundina: a venosa umbilici parte ipsis nutrimentum est; testae facies similis tibiatarum ligulis, atque in ea sunt meatus, capillamentorum tenuitate. Testa intus rupta dilapsaque foetus exit; et ex ovo vivum protruditur animal. Caro Majoris ferinum edit odorem. Uterque etiam a plebe rejicitur.

PUNCTUM III.

De Mustelo Laevi et Asteria.

TAB. VIII. 6.

MUSTELVS seu Galeus LAEVIS, non a cutis Laevore, sed ut ab Acatia, cui perquam similis est, distinguatur, ita dicitur; Romae *Pesce Columbo* vocatur. Vix ad viginti libras pervenit. Colore est albicante, *Corio laevi*, ore edentulo, dentium vicem asperae maxillae obtinent, foramina pro naribus habet; quibus minora sunt alia post oculos, rostro, branchiis, pinnis, cauda, intereanisque cum Cane Galeo convenit. *Videtur* piscibus, et si inter gregales habeatur. De *Generatione* sic ^a Aristoteles. Ova in medio matricum continent, ubi circumstetere in utrumque matricis sinum descendunt, et evadunt annexa per umbilicum ad matricem animalia, ita ut absumptis ovis, non alio modo quam quadrupedes foetus habere videantur. Annexus est longus umbilicus ad matricis partem inferiorem, unusquisque tanquam appensus acceptabulo. Et ad foetus medium quae jecur habet, quem si feces, intus alimentum quasi ex ovoprehendas: etiam

^a *Aristot.*
H. A. l. 6.
c. 10.

cum amplius ovum non est. Tamen secundae membranaeque sua cuique foetui, more quadrupedum. Foetus per initia caput in superiore parte habet; adultus autem atque perfectus devexum. In laeva mares generantur, in dextra foeminae, quin eadem in parte simul tum foemina, tum mas. Dissecto foetu, quot habet viscera, puta jecur, ea interius magna, et sanguine constantia, sicut in quadrupedibus. Propter duram insuavemque carnem plebi relinquitur.

GALEVS ASTERIAS, Oppiano *Ποικίλος*, Aeliano simpliciter γαλέος, nisi Galeos omnes maculatos vocet, Bellonio *Mustelus stellaris*, qui etiam Oppiano *Pardalim* dici credit. Laevi mustelo internis et externis partibus est similis, cute tamen laeviore. Dorsum maculae aliae stellarum speciem referunt, aliae sunt rotundae. Locum, victum, partum, Ingenium, et Mores, communia cum caeteris habet. Itceus Galeorum optimos et tenerrimos esse opinatur.

TAB. VIII.
8. 9.

PUNCTUM IV.

De Glaucio Aeliani et Maltba.

TAB. VIII. 7.

GLAUCVS Aeliani vel ideo inter Galeos refertur, quod sit Cartilagineus, tota corporis figura caeteros Galeos referat, et parvulos periculo instante, ore hiantem excipiat, praeterito, revomat. ^a Piscis est qua-

^a *Rondelet.*

tuor aut quinque cubitorum magnitudine. Cute laevi. Dorsum caeruleo exsaturato, ventre candido. Rostro acuto. Ore in supina parte posito. Oculis magnis, ex quorum inferiore parte enascitur membrana candida, quae

tius Histor.
Pisc. Aldr.
H. Pisc. l. 2.
c. 37.